

Exmô. Señor.



Eñor: Pudiera parecer arrojo la libertad que me he tomado de presentar á V. E. este corto obsequio; pero la admiracion de su nombre tan distinguido en la República de las letras, como en las armas, su mérito todavia mas grande que su nombre han exîgido de mí lo que el respeto quería impedirme.

Nuestro Señor guarde la vida de V. E. los dilatados años que le ruego. Real Fuerte San Carlos de Perote y Julio 1. de 1785.

Exmô. Señor.

B. L. M. de V. E. su mas humilde Súbdito y obligado Capellan.

Antonio Buonavita.

INVICTI BERNARDI DE GALVEZ

NOVÆ HISPANIÆ PROREGIS.

PRÆCONIUM.

GAude, quod Galvem peperisti Hispania mater,
Terra hispana armis, consilioque potens;
Quem genus ex Atavis exornat nobile, cujus
Socraticis studiis omnia verba nitent.
Qui Solus vires potuit superare Britanni,
Quem solum trepidans Anglica terra timet.
Est testis BATON *est* PANZACOLA *redempta,*
Cujus de esparsis ossibus albet humus.
Bellica dum crepitant tormenta immotus in altà
Tu stabas puppi vulnera bina ferens.
Saucius egressus Navi, terráque potìtus
Das belli signum: Militis arma tonant.
Ecce ruunt Hostes in apertos undique campos
Dissiliunt celeres, & latus omne tenent.
Ut propius ventum est, admotaque dextera dextræ,
Resque fero potuit cominus ense geri.
Sicut Aper longè densis corvallibus actus
Fulmineo celeres dissipat ore canes:

Sic tua Gens pugnat: cœco omnes marte resistunt,
Vulneraque alternà dantque, feruntque manu.
Fit cruor, et cœdes, et qui persistere tentat
Concidit in durà sanguinolentus humo.
Dicere difficile est quid fortiter egeris illic,
Quotque neci dederis, quosque, quibusque modis.
Ense tuo factos calcabas victor acervos,
Impositoque Anglus sub pede multus erat.
Sic Portum vincis, fortem quoque vincis et Arcem;
Sic Regi fulgens accumulatur honor.
Per Te nunc Carolus victis dominatur in Anglis,
Quo bello major, nec pietate fuit.
Gesta Tua hæc vivent, operosaque gloria rerum
Hæc manet, hæc tepidos effugit una rogos.
Pars eris historiæ, totoque legeris in ævo,
Teque opus ingeniis, carminibusque dabis.
Ipse tuum lilio *voluit Rex Stema nitenti*
Ornari, nullo quod dedit ante Duci.
Te Comitem fecit, cumulavit honoribus, istos
Ut regeres Populos & Tibi sponte dedit.
Indorum gentes, Hispanus et incola terræ
Hujus lætitiæ signa dedere suæ.
Cernere erat quantus gaudens foret agminis ordo,
Densaque quam longum turba teneret iter.
Mexicus excepit jubilans, totusque Senatus

Officium Populi vix capiente viâ.
En Tibi gratatur Populus totasque per Urbes
Omnis odoratis ignibus ara calet.
Thura Sacerdotes pacalibus addite flammis,
Atque nitens humili victima fronte detur.
Maximus ut Galvez Regnum cum pace perennet
Ad pia propensum vota vocate Deum.
Diva Parens Hominum, quam primi crimina Patris
Non læsere, humili suscipe ab ore preces.
Bernardum semper placido pulcherrima vultu
Aspice, tu mores Diva tuere suos.
Protege Tu Galvem, tu longo tempore serva
Progeniemque suam, Participemque thori.
Tu Divæ monitu comptos redimita capillos
Pax ades: atque novo mitis in Orbe mane.
Pellantur morbi, valeant Hominesque gregesque.
Scindat humum Cultor, Navita portet opes.
Absit iniqua fames, segetes, herbæque supersint,
Quæque lavent artus, quæque bibantur aquæ.
Horreat Hispanos et primus, et ultimus Orbis,
Quæque parum Hispanos terra timebit, amet.
Vive diu Sœcli decus indelebile nostri,
Est cujus pietas non probitate minor.
Sospite Te sic sit Natus quoque Sospes, et olim
Imperium regat hoc cum Seniore Senex.

Di Tibi dent annos: tua semper gloria crescet,
Sint modò virtuti tempora longa tuæ.

In Signum veri amoris, & obsequii Parochus Regiæ Arcis Perotensis Kalendis Julii faciebat.

Antonius Bonavita.

